

IN SHALOM
DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA,
DE
CAUSSIS
PURITATIS
AC
FLORIS PERENNIS
LINGVÆ ARABICÆ,

QUAM

Venia Ampliss. in Reg. Acad. Aboëns. Facult. Philosoph.
Publicæ censuræ modeste submittunt

AUCTOR

MICHAËL AVELLAN,

PHILOSOPH. MAG. & V. D. MINIST.

ET

RESPONDENS

CAROLUS AVELLAN,

FRATRES, TAVASTIA FENNONES.

EN AUDIT. MAJ. DIE XXV. APRILIS, ANNI MDCCCLXI.

H. A. M. C.

ABOË, Impress. JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

Per nos Bot. Aex

* * * * * * * * * * * * * * *

*Excors sim, & humanae conditionis nescius, si ni-
bil mibi a vero alienum excidere potuisse, nihil reapse
excidisse, quod emendationis indigeat, existimem.* JO-
HANNES LAURENTIUS MOSHEMIUS,
in Praef. ad Hist. Ecclesiasticam in Quart. editam
Anno MDCLV.

* * * * * * * * * *



¶

S. L.



In singularis, dum jam L. H. puritatis
ac floris perennis L. Arabicæ, consti-
tuimus leviter delineare caussas; caussas
itidem ac rationes ad hoc ipsum nos
permoventes, requirente id usu vulgari communi-
que ferme consuetudine, omnium primo leviter
saltēm indicare fortassis non erit alienum. Accipe
igitur qua par est observantia rogamus, sequentia:
In Spec. nostro Philolog. de usu L. Ar. in perf. Lexico Hebræo (a), fundamenti loco id posuimus, quod
communi linguarum cladi; cuius tunc quoque men-
tionem injecimus, magis exempta Arabica, etiam-
num lētissime vigeat floreatque. Hujus autem rei
nequaquam vulgaris, neque vulgares, saltēm non
omnibus notæ, sunt caussæ, quas tamen tunc expo-
nere propter varia nequibamus impedimenta. Ne
itaque quidquam sine ratione adseruisse videamur,
eorum monitis consiliisque nixi, quorum voluntati-

A

tū

ti non obsequi nefas iniquumque semper duximus,
 & deliciarum Arabicarum dulcedine capti, vires
 nostras hac in re jam periclitari volumus. Facimus
 vero hoc eo libentius, quod operam nostram, si
 modo quid præstare valuerimus, vanam nequaquam
 futuram autememus. Neque enim, verbis utor Jaco-
 bi Golii, (b) exigui pretii & in quam quis nervos in-
 tendat, indigna res esse videatur, lingua Arabica, qua
 toto orbe nil humanum nunc antiquius existit simulque
 ampliore usu patet. Hæc juxta tamen non erit dis-
 fitendum, in oculis nobis etiam fuisse egregium il-
 lud Isocratis: Γύραγε σταυνί τίνος ἐργοίου, ἵπας ἀρ δό-
 ραιο καὶ τὰς ἀκροίς ὑπουρεύειν (c) h. e. exerce te ipsum
 laboribus voluntariis, ut possis & involuntarios perferre.
 Occurrit autem hic nobis ad propositum pergenti-
 bus, nec multum abest, quin ab eodem prorsus de-
 terreat Cabballistarum illud טוב להזות אולסחן אונגן:
 h. e. præstaret
 fuisse mutum & sapuisse, quam loquacem & despere.
 Ast erigit hæsitantes, animumque addit spes, quam
 sovemus, certissima, fore, ut defectus nostros, bo-
 ni quivis, etiam limationis judicii, lectores beni-
 gne excusent, se quondam etiam rudiores fuisse,
 probe memores, secundum elegans non minus,
 quam verissimum Arabum dicerium: אלעלם ערף
 : אַלְעָלֶם כִּי נְאָנָה לְאַנְחָל גַּהֲלָה i. e. doctus novit indo-
 sum, quia ipse: indoctus fuit. Hoc autem ea
 propter in primis addendum duximus, quod nec
 omnia, quæ de re proposita diei possent, nos con-
 gerere valere prævideamus, nec quidquam novi,
 quod

quod ab antea editis Eruditissimorum Philologorum scriptis, passim hauriri nequiret, promittere audeamus; contenti, si vel summa adtingendo rerum capita, potiora duntaxat γένος quasi loco, illustrium in re literaria virorum insistentes vestigiis, indice, quod ajunt, digito, monstrare potuerimus. *Quod etenim, ait Golius, (d) præclarum est, etiam decies repetitum placere potest.*

(a) Prodiit illus A. 1757 sub pref. Maxime Rev. Viri CAROLI ABRAHAMI CLEWBERG Prof. ad reg. bancce Acad. Celeberrimi. (b) In Pref. ad Lexicon Arabicum. (c) In λόγῳ μαρτυρεῖσθαι περὶ ΔΗΜΟΝΙΚΟΝ. (d) In Pref. ad Grammat. Arab. Erpenii.

§. II.

Vela igitur ventis jam dantes, in prora naviculae nostræ, quænam sit illa lingua, cuius tantopere jaētant puritatem Philologi, unde orta, & ubi locorum potissimum viguerit, conspici volumus. Per linguam itaque, quæ Arabica vocatur, eam intelligimus, quam locuti sunt Arabes Jemnenses (a), Eberi per Joctanem posteritas. Fuit hic יְהוָה five, quemadmodum Arabes illum etiam vocant يَهُوَّه, alter Eberi filius, fraterque Pelegi, de quo sic loquitur Moses: (b) וַיֹּאמֶר יְהִי שְׁנֵי בָנָים שֵׁם אֶחָד פָּלָג כִּי בִּימֵינוֹ נִפְלַגְתָּה הָאָרֶץ וְשֵׁם אֶחָד קָטָן: Ad hunc ipsum referunt originem gentis & linguae suæ, ipsorum Arabum Eruditissimi, nominatim Jos. Ibn. Abdillatif & Muhammedes Ben Jacob Si-

razita. Adsentientes in hoc sibi quoque habent Brian. Waltonum, Bochartum, Schultens, Hottingerum, Ol. Celsius, Aurivillium, aliosque de re literaria immortaliter meritos. Unicuique enim genti in suis rebus credendum esse, nisi contrarium possit ostendi, egregie monet modo laudatus Brianus (c).

Evinci vero etiam potest id ipsum ex sa-
cris Pandectis. Moses enim Cap. modo cit. de
tredecim filiis Joctanis ita pergit: זיהי מושבם באתה ספרה ח' הר קרכט ממשא & fuit habitatio
eorum a Mescha, qua venis ad Sephar, ad montem
orientis. Mesa autem vel Musa portum celeberrimum,
ad mare rubrum unde iter erat ad Sepharitas
populos interioris Arabiae, Sephar vero eorum
metropolin fuisse docent harum rerum periti. No-
minatim vero Cl. Bochartus in Geographia sua sa-
cra docet Mosen, dum Joctaneos habitare dicit a
Mesa qua itur ad Sephar, idem dicere, ac si habi-
tare scripsisset in Arabia odorata, idque invictis
probatum dat argumentis, quae in scenam profer-
remus (d), nisi Bochartum dixisse, plus quam no-
stram, aliorumque plurium demonstrationes, valere
crederemus.

Aliena quidem ab ejus sententia est non nihil,
versio Arabica, qua טשא per מכת, & per ספרה
אלטראנְתָה interpretatur. (e) Hinc etiam Judæi in li-
bro Juchaf. p. 135. b. observante Hottingero ita ha-
bent: זכני וקצתו שכננו ממשא הנקרה כלשון עברי סכח
אשר ה' א. Filiit Joctan ^{h. e.} ממקום החוגה שלחן
habitas

habitarunt a Mesa, quæ dicitur lingua Arabica Meca, quæ est locus religiose peregrinationis eorum; Quibus addit ipse Bochartus ex eodem libro sequentia: יושם בקרוב קבר מוחמד נבי הארץ וקראה מדרת אלנבי ibi prope sepulchrum Muhammedis Prophetæ illorum, in loco, qui dicitur Medinat Alnabi. Hæc tamen non contrariantur nobis, originem L. Ar. ex Jemana deducentibus, si modo sibi constiterint illi Geographorum, qui duas haec urbes ad Felicem Arabiam referunt. Controversiam vero de his movere nostrum jam non ducimus, id tantum observantes, quod Cl. Golius in Lexic. Arab. c. 2252. פְּכַתurbem provinciæ, Arabiæ Jemanicæ vocet, quodque his consentanea habeat etiam Geographus Nubiensis, in parte 5:ta Secundi Climatis, pag. 50. expressis dicens verbis: Mecca vero est centrum ac meta habitatorum peninsulæ Arabæ, videlicet regionis Jaman; inferat etiam Hottingerus (f) ex eodem Geographo, Sionitam hæc proferentem: A Mecca ad Medinam, cuius nomen est Jathreb (quæ urbes sunt Arabiæ felicis) vias recta decem sunt fere stationes. Medinam palme circumdant plurimæ, crassorum feraces dactylorum, quibus vitam sustentant incole suam nulla aut semina aut armenta possidentes.

(4) Meminit Jemana Hottingerus in Hist. or. L. I. C. V. pag. 209. dicens, in quinque Arabiam ab antiquitate distinctas provincias. TEHAMDA, nim. NAGJEDA, HIGJAZA, ARUDA, & JEMANA. Intelliguntur autem per Jemanenses, Arabiæ Felicis incoleæ

incola. Regionem ita dici volunt a יְהוָה quod Hebreis & Arabibus dextram significat, utpote qua ad dextram est CAABAÆ אל כעבַת five אל קָبֵלָה i. e. templi Meccani. Cfr. Lexic. Arab. Golii c. 2768, 2041, & 1850. Liceat nec desint, qui anno 8 יְהוָה Joannin i. e. a felicitate seu virore ita dictam putent. (b) Gen. X. v. 25. (c) Proleg. XIV. Op. Polygl. n. 3. (d) Notasse solummodo sufficiat, cum non tantum de filio Joctanis in genere probare, quod sedes suae in Amb. felice fixerint; verum etiam idem in specie de quovis illorum, כל יְהוָה unico excepto, longa induktione palam facere, torque ab illo proferri testimonia, Theopante, Peotemai, Euthymii Anastasi, Nubiensis Geographi, Stephani, & siorumque, ut vel illorum harmonia, veritatis bujus quemvis convincat. Cfr. si placet Op. citati Lib. II. Cap. XV. XVI XVII. & seqq. (e) Cfr. Bibl. Polyglotta Waltoni. (f) Hist. Or. L. II. C. IV. p. 440.

§. III.

EX vasta autem illa argumentorum mole, quam exhibet ὁτίῳ Bochartus hanc in rem, multum placet, & sese nobis obtrudit quasi illud; quod ex urbium hic, regionum, gentiumque cum conditoribus suis; Joctane nim. filiisque ejus, homonymia desumptum videmus. Huc enim non inconvenienter referri a nobis potest, quod de sua lingua scribunt Judæi, hunc in modum: *Sed audi nunc, quæ ratione possis perficere vim probationis istius, de antiquitate linguae nostræ, & multiplicare exercitus ejus, omnibusque satisfacere, qui eam fugillare aut vilipendere conantur.* Fundamentum enim a quo omnia dependunt est hoc, quod illi, qui libros & historias antiquas

rum transferunt, non soleant immutare nomina propria, quæ in historiis vel rebus gestis illorum occurrunt; sed servant illorum formas in translatione sua, vocantque ea nominibus suis sine ulla prorsus mutatione, ut illi, quorum res gestæ enarrantur propriis suis nominibus cognoscantur (a). Nam aut nihil certi veteres Metaphraſtæ & Geographi nobis tradiderunt, aut Joctane prognatos esse אלעָרֶב h. e. Arabes Arabifſantes vel. Arabes natos (b) nemo hæc rite perpendens hæſitabit. Ulterius vero si cuiquam hæc pensitare & disquirere placuerit; conferat ſolum יְהוָה aliaque similia Gen. X: v. 26, 28, & 29. cum iis, quæ profert Geographus Arabs de ſuo Baisat Jaclan, quod Civitatem parvam populosam, bonis domiciliis, campis pulchris, aquis erumpentibus, & palmis non multis eſſe narrat; de Hadramaut cuius nominis non ſolum regionem ſed etiam urbem eſſe refert; de Saba, e qua inquit oriundam Belquis uxorem regis Salomon (c) & denique de Chaulan arce munita, cuius incolas fortes inquit eſſe ac robustos, & poſtea addit: Omnes prædictæ regiones ſunt in terra Tebama, quæ eſt portio Jaman (d). Conferat inquam, & exprerietur ſperamus, talia hæc eſſe, qualia ſolent, de quibus dubitare fas non eſſe ducitur.

(a) Ad Libr. Cosr. part. II. §. 68. Cfr. Diff. C. Haggquist de conv. L. Sveog. cum Latina Upſalia editum anno MDCCCLIX. in qua hac ſententia, prater versionem aalatam, proprio idiomate recensita eſt. (b) Volunt bi distinguishingi ab אלעָרֶב אַלמְתָּצְבָּן Arabibus ſolidis vel Arabiſtum adfeſtantibus. Haud abſimiles huic

huius distinctioni, sit mentio מִתְהָרִים b. e. Iudeorum factorum
Esth. 8:17. Huc quoque allusere Christus Job. 1. 48. & Paulus Rom. 2. 29. & Gal. 2. 15. (c) Cfr. 1. Reg. X. (d)
Part. VI. Climatis Limi & Part. V. Clim. II:di

§. IV.

Antiquissimam itaque ex allatis patet, esse lingvam nostram, & id usque adeo, ut procul dubio cum reliquis omnibus, matre sola Hebræa excepta, originis vetustate certare possit; longinquitate autem durationis eas longe post se relinquat. Hinc est, quod multo sit aliis linguis fœcundior, atque innumeris ferme scateat vocabulis, quæ in illis, singulis æquipollentibus vix reddi posse crediderim; (a) admirabilique excellat elegantia, puritate, ac orationis svavitate. Testes imo arbitros, hujus rei statuimus Principes in literatura orientali viros, qui communī calculo eam confirmatam dederunt. Ea tanta est, ait Cl. Schultens (b), ut fidem ferme superet. Hinc evenit, ut qui ad Arabica non accesserint, plerumque se in hac parte incredulos prebeant. "Rarum etenim si alias linguas species, exemplum est, quod, ab ortu suo ad hæc usque tempora, pura atque indelibata permanserit. Id quod magna Scaligeri atque Hottingeri testimonio firma-tum ibo; quorum ille, in Epistola ad Hubertum, "Arabisnum priscum adhuc conservatum esse scribit, nec magis differre Arabismum vernaculum a prisco, quam Pictonismum ab Aulicorum Gallo-

rum

rum sermone. *Hic in Clave Etym. Harm. Arabicam & locupletem, & nullo aliarum linguarum contagio infectam esse, & antiquae originis, & regiminis integri argumentum est.* Addo Cl. Henningum, qui in præf. ad Muhammed. prec. ita loquitur: *Atque hæc est illa lingua, quæ quoad communem usum loquendi, pæne dixerim sola mansit virginis instar illibatae, intacta ac inviolata, a primis incunabulis in serum & hodiernum usque diem, cæteris re omnibus corruptis, & ita mutatis, ut in alias quasi metamorphosi Ovidiana transferint (c).* Ut autem breves simus, ad ostendendam puritatem L. Arab. vel illud solum sufficere poterit argumentum, quod ex ejus cum Hebræa convenientia deduci potest. Posito enim, simul vero etiam concessso, quod ab Ebræa orta Arabica, iisdem, eademque fere ratione inflexis ac constructis, utatur saepe vocabulis, ac utitur ipsa, etiam quatenus adhuc superstes est, Hebræa; aut nihil videoas oportet, aut puram & incorruptam mansisse, nec a primævo suo habitu degenerasse illam, certo perswasus sis (d).

(a) Unius saepe rei apud Arabes appellationes variaque eorum explicaciones voluminis integri materiam praberent. Sic deonis nomina habent quingenta, serpentis ducenta, mellis 800. Ensis vero appellationes sunt supra mille. Test. Irauzabadio apud Waltonum. (b) In strictur. ad Diff. hist. de ling. primava &c. p. 38. (c) Hac ex Hist. Ling. & Erud. Arab. S. Rev. Ol. Celsii battimus, quam de bice ulterius, si placet, consulas. (d) Cfr. ea, que S. præc. de urbium &c. Arabia, quoad nomina, cum Joannicæ convenientia diximus.

§. V.

Quanam autem in re, inquies, consistit, & sese præcipue exserit decantata illa, linguæ sæpius dictæ puritas? Brevibus quam maxime pro ratione instituti, me hinc expediam: Caret nimirum L. Arab. vocum peregrinarum farragine, & earum colluvie sese adulterari non est passa, h. e. pura, suique similis, alienum non induit habitum. Antiquis porro formis vocum retentis, tot non habet speciales anomalias, lectorem de radice & significatione vocum dubium relinquentes, contractionesve, quæ subtilissimo licet Grammatico, dum occurrunt, multum negotii facessere, inextricabilesque ferme, haud raro esse solent. Exemplis res evadet clarior. Conferamus saltem in nonnullis, linguam nostram, cum ipsa matre Hebræa, & gratis illam a nobis nequaquam laudari, patebit. Sit itaque verbum illud, Grammatices apud Ebræos Doctoribus, notissimum שׁנָה exegit, vel exactionibus pressit, &c. Est hoc, ceu notum, defectivum שׁנָה, adeoque si per tempora flectere volueris, I.mam radicalem quam sæpiissime amittit, ita ut conjectura certe opus sit, in quanam radice explicanda verseris. Habes e. g. in 3. p. fut. kal. שׁגִי pro שׁנָה. Hæc forma potest esse fut. in Niph. rad. שׁשַׁג ad modum בְּשִׁיר, potest vero etiam esse ex שׁוֹג. Porro referri potest ad 3. præt. Pih. Rad. שׁגִי ad form. אֶבְרָה 2. Reg. 21: 3. Posset denique esse fut. Niph. apocop. a הַשְׁגַׁג instar בְּשִׁיר Ps. 109: 13. a הַשְׁגַׁת. Sic quoque obscura tibi erunt omnia circa שׁנָה pro שׁגִג, 3. p. præt. Niph. pot.

potest enim illud esse 1:0 Ejusdem Piel 2:0 I:a plur.
 fut. Kal. 3:0 I:a pl. fut. Niphal. Rad. וְשָׁבַת, & de-
 nique 4:0 I:a pl. fut. Niph. apocop. a נִשְׁבַּת. Ad imp.
 Kal. si adtenderis, וְשָׁבַת illud maxima quoque diffi-
 cultate laborare deprehendes, nam pari certe jure
 dixeris esse 3. præt. a Rad. וְשָׁבַת, aut etiam imp. a-
 pocopatum in Piel, formæ לְשָׁבַת Psal. 119: 18. & נִשְׁבַּת
 Num. 5: 2. Similis est ratio mediæ, quam habent
 Ebræi geminatæ, בְּשָׁבַת etenim unam ex literis radi-
 calibus perdidit, & de radice te dubium relinquit
 non minus, quam וְשָׁבַת, de quo modo. Horum au-
 tem ex adverso, nihil habet Arabia. Ignorat nam-
 que anomaliam 1:mæ בְּשָׁבַת & omnia hic perfecte for-
 mat, ut יְנַצֵּר חֲנַצֵּר jansoro tansoro &c. In
 mediis vero geminatis, Surda vocant Arabum Gram-
 matici, licet quoque contrahant, quum afforman-
 tes, vel alia non adfuerint incrementa, nulla ta-
 men unquam superest ansa dubitandi. Adebat enim,
 quotiescumque hoc fiat, fidus ille, radicalis prioris
 similium posteriori insertæ, index *Tesdid*, cuius vi-
 ces sustinens *Dagesch* apud Hebræos accedente fal-
 tem incremento aliquo finali, inscribi solet. Quid
 vero dicam de verbis antiquis, apud Hebræos,
 quæ nobis sarta testaque conservat L. Ar.? Nisi,
 quod manifesta sint indicia, singularis illius, quam sta-
 tuimus puritatis. Occurrit e. g. in reliquiis L. H. Bibli-
 cis, רֵבֶל proles Gen. 11: 30. & רֵבֶל cum Sægol
 2. Sam. 6: 23. ad רֵבֶל per anomaliam referri solitum,
 quum tamen nulla opus sit; conservata nim. in A-
 rabia רֵבֶל peperit mulier, procreavit, &c. Similiter

etiam יְקַרְּ Prov. 17: 27. volunt Masorethæ esse יְקַרְּ a Rad. יְקַרְּ pretiosus fuit, quum tamen ab Arab. יְקַרְּ gravavit, aggravavit, honorem habuit ob gravitatem vel auctoritatem, magis commode deduci queat; adeo ut יְקַרְּ reddi possit: gravis spiritu, quod cum antecedentibus adprime quoque convenit. MENTIONE enim in parte, versus hujus priori, fit viri יְוָדָעַ רֹעֵה, qui est יְקַרְּ אָמָרְתִּי cohibens vel moderans sermones juos. (a) Nec minoris momenti est מִזְגָּב Jer. 5. 8. quod revocata ex Arabia radice מִזְגָּב libravit, ponderavit, est part. in Pyal regulare; reddique sic posset, מִזְגָּבֶס equi ponderibus prædicti, h. e. probe saginati, eaque pondera librata in venerem trahentes, quæ pudor & honestas exprimere vetant (b). Annuit hic iterum contextus. Describuntur enim loc. cit. Admissarii, omnem mulierem adhinnientes. Sic non opus est anomalia I:æ יְ, ejusque irregulari mutatione in יְ, nec radice מִזְגָּב, contra omnem Analogiam hic a nonnullis ingestæ, nec denique Metathesi illa lit. de qua vide Cl. V. T. Stockii p. 281. it. Gr. Ebr. Paulini Reg. XXXVI. Membr. IV. In Nominibus, ut reliqua omittam, numerale illud וָו sex, & וָו sextus, vel solum, adserum nostrum indubium reddit. Hoc etenim a שְׁשָׁה recte deduci, mediumque idcirco radicalem extrusam desiderare, jure statuitmus; perfecte scil. dante L. Arabica, quæ habet שְׁשָׁשׁ saudison a שְׁשָׁה sadâsâ, sextam exegit portionem &c. Pronomina, licet miram apud Ebræos & Arabes, omnino agnoscant convenientiam, apud hos tamen puriora reperies. אֲתָם tu, vos

vos, e. g. medium tertiae, per Dagesch inseruisse, patet; illa vero num sit נ vel נ, vel etiam נ, ex Ebraicis vix erues. Extra dubium vero hoc locant Arabes, qui perfectas habent formas, אַנְתָּה tu, אַנְתָּם vos, radicales heic esse אַנְתָּה haud obscure indicantes. Particulas denique quod adtinet, apud Arabes pristinæ puritatis tenacissimos, hæ quoque de radice certum reddunt lectorem; apud Ebræos non item. Quæsitus e. g. quænam sit radix part. Ebr. נ super, hæsitare utique potes, num sit חַלֵּעַ, vel לַלֵּעַ, vel etiam יַעֲ. Arabum autem נַעַ, neminem de sua origine dubitare finet. Plura, immo longe plura, in hanc rem congeri possent; ast plura non capiunt angusta hæc spatia, nec ut diutius hisce im moremur, propositi memoribus jam licet.

(a) D. Jo. Heinr. Michaelis *vult vocem hanc, esse ק ר ר friguit in not. marg. ad hunc locum. Similiter quoque Job. Leiden, in clavi Hebr. V. Test. p. 461.* (b) Cfr. Clay. Dial. Cel. Schultense

§. VI.

Commemorandæ enim nobis jam sunt caussæ, admirandæ hujus puritatis, lingvæ nostræ, quæ tempus, cuncta cæteroquin humana vincens, ita evicit, ut ceu jam dictum est, ad nostra usque tempora, priscam retinuerit indolem. Sunt hæ, vel *externe*, vel *interne*. Inter externas primo omnium referri solet, *situs peninsulae Arabicæ*, exteris, tantum non inaccessus, quo a reliquo orbe terrarum, firmissimis quasi claustris, ex una parte, mari-

bus infidls, ex altera vero, arēnis omnes fluctus
mobilitate & volubilitate superantibus, ita sejunctam
esse, inter omnes constat; ut mirum cuiquam vide-
ri non queat, linguam, quæ ibi semel fidas, in nu-
merosissima Joctanidarum præcipue gente, altasque
egit radices; & in seclusissimas hasce fedes immis-
sa, amplissimos ibi ramos explicit; nulla externæ
contagionis labe adulteratam, atque corruptam es-
se. Commercia etenim ibi exerceri solita, exti-
mas tantum oras circumlambere, nec ad interiora
penetrare, referunt Historici (a) Finitimæ etiam
gentes, si quas cum Arabibus misceri contigisset,
cum his lingua conveniebant, eamque in Arabia,
hoc pacto corrumpere nequibant.

(a) Observante Celeb. Aurivillio in Dissert. de usu Ling.
Arab. &c.

§. VII.

RElata porro referentes, observamus *immunitatem*
Arabum *a bellicis devestationibus*, ad conserva-
tionem floremque linguae illorum, hand parum con-
tulisse. Plerumque etenim evenit, ut in victos si-
mul cum imperio, victorum lingua etiam derive-
tur, nec victores hi, se existiment, aut rerum po-
titos, nisi & sermoni dominantur. In rei *hujus e-*
xemplum meminisse sufficiat Græcos, teste Walto-
no, (a) infinita vocabula Turcis, sed dominis de-
bere; Ægyptios ab Alexandri temporibus, linguam
Græcam cum propria mixtam recepisse, & Alpha-
be,

betum Græcum adoptasse, paucis tantum de suis literis adjunctis, ut quædam exprimerent, ad quæ exprimenda Græcorum literæ non sufficiebant; Romanos etiam studuisse, ut linguam suam, cum imperio propagarent, omnesque propterea legationes, appellations lites, cæteraque Provincialium negotia, in senatu tractata, Latino idiomate ab illis agitata; Prætorumque judicia, instrumenta, leges provinciarum, hac lingua conscripta fuisse. In illius vero, sive quod nullius imperii præpotentis, victoria satis, senserint Arabes arma, nec a gentium domitoribus unquam sub jugum missi fuerint, probationem & fidem, adferimus testimonium Diodori Siculi Historici, Gravissimi. Ita autem ille: ἐπὶ δὲ κατόλιγ τύπο τὸ ἔθνος Φιλελεύθερον, καὶ καθ' εὐένα τείχον προσδεχόμενον ἐπηλὺν πύγευσα. Διόπερ γένθ' οἱ ταῦ περσῶν βασιλεῖς ὑσεργον, γένθ' οἱ ταῦ μακεδόνων, καὶ περ επλεῖσον ἰσχύουντες, ἕδεντησαν τέλο τὸ ἔθνος κατὰ διάλωσις θατο. Κατόλιγ γάρ εἰ Αἴγαρις δύσπολεωπλός ἐστιν ξενικαῖς δυτάμεστο, διὰ τὸ πὴ μὲν ἔξιμον, ἄντης εἶναι, τὴν δὲ ἀναδέργον, καὶ διειλημμένη Φέρασι πεκρεμάμένοις καὶ μόνοις τοῖς ἐγκωμεῖοις γνωρίζομένοις. Nam gens ista libertatis perpetuo amans est, nec unquam extraneum principem admittit. Ideo nec Persarum nec Macedonum postea Reges, quamvis potentissimi, nationem hanc subigere valuerunt. Arabia namque quod partim deserta, partim aquis asecca, aut puris oculis, quos indigere tantum norunt, intercepta sit, exterrita militum copiis inexpugnabilis fere est (b). Consentanea hisce, de Arabibus nostris tradit Scriptor nostri aevi, Georgius Sale, (c) quæ licet paulo prolixiora, hic quoque a nobis addi omnino merentur: Reges Jaman, nec non Mecca & Medina independentes sunt, minimeque Turcarum parent imperio.

vio; quod à recentiorum nonnullis traditum legitimū. Horum vero principum, frequenter invicem illata, eademque cruenta bella, Selimo I. ejusque Filio Solimano, occasionem dederunt omnium Arabiae ad littus maris rubri, partemque Tamanis ope classis in portu Sues collecta, occupandi. Sed successores eorum pars tueri non potuerunt. Si enim Jodda portum excepérunt, ubi habitat Bascha, cuius exigua admodum auctoritas, nihil fere alicujus momenti in Arabia possident. Sic Arabes libertatem, cuius paucæ gentes adeo vetusta monumenta ostentare potuerunt; sine ulla fere interruptione ab ipso diluvio lartam teckramque tueruntur. Maximis namque exercitibus contra eos emissis, omnis tamen subjuganda conatus successu caruit. Assyria Mediaque regna inter eos pedem figere non valuerunt. Persarum Reges, et si eorum amici, eosque ab iis culti, ut quotannis munera spontanea ipsis mitterent, tributarios tamen Arabes nunquam reddere potuerunt: tantumque absuit, ut Aram domini essent Persæ, ut Cambyses in Ægyptum movens, venism per eorum regiones transundi petere cogeretur. Cumque Alexander M. potens illud subjugasset imperium, adeo parum eum timuerunt Arabes, ut illi soli intergentes vicinas omnes, nullos ad eum mitterent legatos. Quo iis commotus, simulque cupiens adeo opulentiam regionem in suam redigere potestatem, expeditionem in Arabiam meditabatur. Et nisi moree impeccitus fuisset eum fortasse hic populus in vincibitem non esse docuisset. Ejus vero successorum, quempiam, sive in Asia, sive in Ægypto, eos unquam adgressum fuisse non invenio. Nec aliquando Romani Arabia, proprie sic dicta, parem subegere, tribibus solummodo nonnullis Syria tributa imperasse contenti, quod fecit Pompeius illi, cui præterat Sampsiceramus aut Schams' alkaram, Hemse aut Emessa princeps. Nec quisquam Romanorum aut aliarum gentium, quantum constat, eo usque in Arabiam penetravit, ac Etius, Gallus, sub Augusto Cesare, qui quidem canum absuit, ut eam subigeret, quod nonnulli scriptum reliqua-

runt, ut prius rebus infeliciter gestis, maximaque parte exercitent, vel morbis vel aliis casibus amissa, reverti cogeretur. Quo infelici belli eventus territi Romani, bellum illis ulterius inferre voluerunt. Trajanus etenim, quia quia ipsi adutentur sui tempora historici & oratores, nemnique in ejus honorem percutti, Ambes neutiquam subegit: quippe quod illa provincia quam Romanorum imperio adcessisse dicitur, vix uita Arabiam Petraam aut ipsam Arabie extremitatem extenditur. Quin etiam auctorū unius fide accepimus, Trajanum, quem in Agareros qui defeterant, exercitum duceret, ita suisse exceptum, ut rebus infelici regreat satius iudicarit. (d).

(a) In Proleg. ad Bibl. Polyglotam. (b) Biblio b Hisp. L. II. p. 90. p. m. 64. (c) In suo Discursu Prelimin. ad nov. version. Acorani, Londini edit. Anno hujus secu. 34 pag. 12. & 14. (d) Cfr. quoque si placet P. L. Berkenmeyern, Versiegung des curieusen Antiquariss. I. Abtheilung II. Capitel p. 70. Edit. Hamburgi 1742.

§. VIII.

TAntum de caussis purit. L. Ar. externis. Supereft, ut de internis, quæ dicuntur, non nihil addamus. Hæ certe, non minus quam illæ, communis hujus effectus rationem in se continent. Principem in his locum obtinet, opinio altissimis radibus, mentibus Arabum infixæ, linguam ipsorum esse mundi natalibus æqualem, atque humani generis progenitori divinitus infusam. Hinc est, quod illam immensum quantum reliquas omnes, non solum copia & ubertate sed etiam vi, pompa, & grandiloquentia, majestateq; antecellere contendant; hisq; dotibus fulgentem, idem esse aliis linguis, quod sol est aliis minoribus sideribus, nescio quo numine autument.

ment. Hinc porro *intensum* illud linguam suam conservandi studium, eousque se exserens, ut non solum adcuratissimæ pervestigationi observationique proprietatum sermonis valide incumbant; verum etiam, aliis gentibus levitate & inconstantia vetera abhorrentibus fere, priscorum retentissimi linguam suam vetustissimam perpolire, pristinoque habitu repræsentare allaborent; in eo gloriæ suæ fastigium collocantes, ut palmam hanc suam generosissimam inviolatam atque a corruptelis injuriisque temporum intactam, sibi suæque posteritati præstent. Illustræ hanc in rem exstat testimonium Abul-Faragii (a) quod ita habet: *Eruditio autem Arabum cuius gloriæ præcipue studiosi erant, hac erat: linguæ suæ peritia, sermonis proprietas, carminum textura & orationum compositio &c.* Huc faciunt quoque verba Cl. Pocockii: (b) *Inter cæteras Poëseos laudes hoc ejus beneficium enumerant, scil. quod & linguae Arabicæ conservatio, & sermonis proprietas & elegantia, ei debeat.*

(a) *Hist. Dynast. Interp. Cl. Pocockie.* (b) *In nosis ad Spec. Hist. Arab. p. 158.*

§. IX.

EX sacro illo, quem incusit Arabibus lingua gentilitia, horrore, etiam id profluere existimo, quod *alCoranum suum in alias linguas transferri nefas putent, ne scil. profanetur.* Persyasi enim sunt

sunt nihil id orbe sanctius extare, nihil sublimius nihilque pari veneratione dignum (a) adeo ut Christianum, vel Judæum, ne quidem adtingere eum permittant, insidere autem ei immane sit piaculum, Christianis & Judæis capitale, immo ipsis Muhammedanis nefas digitis eum adtingere, nisi Sacra lotione mundi accésserint. Hinc, ne per imprudentiam hic peccari contingat, coriacei involucri, in quo liber sit compactus protensiōri labro, quod ipsi אַלכְתָּאֵב יִנְשׁוֹ linguam libri vocant, in medio anteriori parte imprimi solent hæc verba: לֹא יִמְשַׁחַן אֲלִפְצָהָרָן non continget eum præterquam Iustratus. (b) Nihil itaque, vides, tam alte animis hominum insidet, quam dira supersticio. Vides etiam, quod mirum non sit Ling. Arabum vel paulatim vernacularm factam, vel pro doctorum lingua habitam, ubi cunque Muhammedanorum religio pervenerit armaque, victricia illorum gentes subjugarint; ad tantamque usq; propagatam esse amplitudinem, ut extremos fere orientis & occidentis terminos conjungat. (c) Studia denique literarum, quæ flori linguarum multum conducere solent, apud Arabes floruisse, ita evictum est, ut de hoc quidquam dicere supervacaneum sit. (d) Hoc tantum addam, quod nec, illis male habitis, lingua ipsorum detrimenti quidquam eatenus passa sit, ut puritatis suæ jacturam faceret.

(a) Philippi Mornai de AlCorano iudicium ex versione
Svec.

Svec. Job. Sylvii p. 655. hic subjungere placet; ait autem ille: Ingen Förmästig Man orckar läsa hans Alcoran troc
gångor igenom, utan så är, at han antingen får therfore en stor recompens eller och blifwer trugad thertil althens
stund then boken innehåller intet annat, än som en hop
absurditeter fäfångor &c. *Hoc quidquid sit, tamen Anno*
num jam subit, quod puor est proficeri, longe majore lau-
de dignos esse Mubammedanos, respectu zeli hujus, quam
plerosque Christianorum turbulentis his temporibus, quibus
Sacra litera contemnit prorsus, prob dotor! habentur, omnia-
que fere religio ex plurimorum animie ostracismum quasi
passa videtur. (b) Cfr. app. Golii ad Gr. Erpenii it. ejusd.
annotat: in Hist. Josephi. (c) Cfr. Walt. Proleg. XIV. n. 4.
(d) Probat hoc Celsius in op. sapientia citato, idque abunde satis
Jobi, Themanorum, Bildadi Schuchita, Tzophari Naamathibi-
ta, Jetbronis, Locmanni, Filiornm Orientis, I. Reg. V: 10.
Regine Sabaeorum, Magorum Marth. II: 5 multorum aliorum
exemplis, in apricum locat. Verba etiam Abulfaragii a nobis
supra allatis, adjecta, quibus scientia Philosophica nihil ad-
modum Arabibus DEUM concessisse, nec ad hæc studia eos i-
doneos fecisse ait; ita refutat, ut nihil solidi, Autorem
suum concessisse quisque haud difficulter perspicias.

§. X.

PLura quæ hic adferri possent, reperies Benev.
Lect. passim apud Auctores supra celebratos,
quorum opera in iis, quæ hic desiderantur, a-
bunde Tibi satisfactura confidimus, præclare no-
biscum actum existimantes, si vel hæc pauca a-

pud

pud benignos harum rerum arbitros, veniae locum
 reliquerint. Priusquam tamen *λοισθων*, prout dicitur,
χειρος his imponamus, observari a nobis non
 tam decet quam oportet, ex imperscrutabili *divina*
factum esse providentia, ut non solum verbum suum,
 cœleste illud *κεκριπτων*, verumque beatitudinis cor-
 nu, nobis purum & incorruptum præstiterit, ve-
 rum etiam effecerit, ut adminicula (a) ad illud
 interpretandum & explicandum facientia, sarta te-
 itaque manerent. Veneremur itaque, submisso
 veneremur, hanc immensam ejus, erga nos mis-
 ros bonitatem. Veneremur inquam, & identidem
 dicamus cum Hieropsalte: הָרוּ לִיהוֹ כִּי טוֹב כִּי
 לְעוֹלָם חַסְדוֹ: הָרוּ לְאֱלֹהֵי הַאֱלֹהִים כִּי לְעוֹלָם
 חַסְדוֹ: הָרוּ לְאֶרְנֵי הַאֲרֵנוֹת כִּי לְעוֹלָם חַסְדוֹ
 כָּל הַגְּשָׁמָה חַלֵּל יְהוָה הֶלְלוּ יְהוָה:

Pf. CXXXVI. & CL.

(a) *Linguam Arabicam his dudum anumerari posse*, inter eruditos nemo est, qui
ignorat.



Eruditissimo
D:o Respondenti,

Amico dilectissimo.

Vlam ad Musas non modo arduam & asperam,
verum etiam innumeris sentibus vepribusque
interclusam esse, assiduo loquuntur lucubrationes,
frequentes testantur vigiliæ eorum, qui ad Pieridum
tendunt Palladia. Hoc ipsum, Amice Optime,
TUO comprobas exemplo, qui, pro insigni TUA
industria & discendi alacritate, animum sœpissime
antelucanis fatigasti lucernis, pluribusque documen-
tis TE Artium Palladiarum indefessum probasti cul-
torem. Cumque Pierii præcelsa cacumina TE jam
scansurum intelligam, non possum non egregiis
TUIS applaudere conatibus, & meum in TE affe-
ctum publica testatum facere gratulatione. Gratu-
lor itaque TIBI, Amice dilectissime, eximios in
studiis progressus. Gratulor vigorem ingenii, quem
diligentia haud vulgari quotidie redditis illustriorem.
Gratulor denique singularem. quem in TE experi-
ri licet morum candorem. Et ex animo opto vo-
veoque velit DEUS T. O. M. TUIS nunquam non
favere cœptis!

Festinanti calamo adposuit.

ISAACUS WALLENIUS Jos. Fili.
TAVASTIA-FENNO.